eduxi pueros ad Rhenum ubi in recordatione Vi-
surgis ad quem deambulare solebamus largiter
flevi. Concionem adhuc integram habemus in
templo, peliquis cultibus nec interfuit quisquam
meorum, nec intererit donec mihi aliquid
mentis in corpore vigebit, gratias ago Deo pa-
tri nostro, quod puerulos aliquot mihi socios
exilii adjunxit, qui mecum domi pietatem
colant, et puras manus in vera invocatione
Filii Dei attollere discant, haec una res ut isthic
ante hac ita hic nunc peregrinitatis meae mise-
rias leviores facit. Sed ego nimis ineptè tam mul-
ta tam occupato. Deus Ecclesiae suae custos et Salva-
tor tuos sanctissimos labores vertat in salutem
multorum, quae est gloria ipsius, teque diu firmum
servet suis, misertus etiam nostri. Amen. Duisbur-
gi 15. Martij 1560.

Johannes Molanus.

194) Ad D. Herbertum van Langen. Bremae

Pax et vita per Jesum Christum.

Honorande frater, mandaram Dirico nostro quam
[= Mscr. a. 7: N. 54] plurimis distentus, ut me excusaret; sed nescio,
quomodo meus animus nequit acquiescere nisi vel
invitis omnibus negotiis rapiam aliquid tempo-
ris ad scribendum ei viro, quem ego (ut sine assen-
tatione dicam) ex omnibus, qui vivunt plurimum
dilego atque amo. Quid igitur scribam? nihil sane no-
vi, nempe quod πολλὰ μοχθήσαντες ὁμοίως ἐσμεν
τὰ γὰρ ἔνοικα πάθη συμπεριφέρων πανταχοῦ ναυτιῶ καὶ
ἀπόλλυμαι (ut ille inquit) ὑπὸ τῆς κατὰ τὸν πλοῦν ἀπο-
ρίας. Unum praesidium habeo tutissimum, quo me

subinde proripio, benignitatem Filii Dei erigentis
hoc corculum in verbo suo per Spiritum συναντι-
λαμβανόμενον ταῖς ἀδεντίαις ἡμῶν absque eo (liceat vera
confiteri) jam dudum mihi res ad restim redisset. De-
bes et tu mi Domine cum tuo contubernali me-
mor esse aliquando mearum angustiarum et pœca-
tiuncula juvare absentem quemolim præsentem,
et consolando et bene consulendo identidem
benignissimè excitastis, frixit hic nobis laborhis
mensibus hijbernis, bona tamen nos spes habet fore
ut aliquem coetum domino aspirante colligamus;
imò Dominus ipse colliget, nos sumus pulvis et stercus.
In Schola Gram. sunt auditores fortasse octoginta,
in Philosophica 20. Hæc sunt initia quædam, quæ
crescent paulatim, prout Deus pater noster da-
turus est incrementum. In templo turbulenta sunt
adhuc et inconcinna principia, respiciat Dominus dis-
persionem gregis sui & ostendat faciem suam affli-
ctissimæ sponsæ suæ. Amen. Domestica mihi ferè uno
cursu hactenus nituntur. Puer idem, qui bremâ mecum
exivirant, accessit uxor non sine quorundam joco, quod
tam juvencula sed mihi ducta est quisquis doctus, spinam
nisi cum tenera est tractari non posse, habemus domi
parvam quandam Ecclesiam, in qua quotidiè sonamus
aliquid ex verbo vivifico et conjunctis animis Deum
vitæ nostræ fidelissimum Custodem invocamus,
cætera ipsius curæ concredentes. Corneliæ cognatæ,
quæ jam ante biennium nuptiariebat in quadragesi-
ma dedi maritum adolescentem honestum, qui me
olim à Brabantia Magistrum habuit, atque ut scias
meam munificentiam nuptiarum sumptus ego fe-
ci, et pro dote 20 daleros dedi, chirurgus est satis i-
doneus ad panem quærendum. Sed quibus ego nugis epi-
stolam planè ut olim in colloquiis familiaribus
solebam abuti tuâ patientiâ et pueriliter

ineptire, qua in re si me tunc acriter (ut par e-
rat) reprehendisses, non ego nunc in eundem lapidem
impegissem. D. Petro Salen seni piissimo eidemq;
facetissimo precor laetitiam perpetuam. Domi-
nus tuam fidem et charitatem in sanctos augeat,
et diu Ecclesiae servet. Amen. Dericus valde bene
rem gerit. Beatus est te patrono, et tu beatior cui
Dominus hoc cordis dedit, ut in tam dignos beneficia
tua collocares. Vale. Duisb: 20. Martij 1560.

Vester
Johannes Molanus.

195.) D. Aegidio Becio. Francoforti
Salus per Jesum Christum.

Venerande frater audisti nuper de rebus nostris
[Emocr. n. 7: No. 55] nonnulla, quae nunc possim scribere sunt illis su-
perioribus consimilia. Anguste scilicet se-
res habet, etiam nunc nobis non minus in scho-
la: quam in Ecclesia. Nempe hic operarii pauci
sunt, illic messis exigua. Sed ego incredibile
est quam sim pertinax in bene sperando. Ut ubi
aliquid lucis video, non dubitem a Deo Patre
fidelium, aliquem non poenitendum successum
expectare, qui subinde confirmat nobis animos
non ambigua suae praesentiae significatione. Nar-
rantur fortasse isthic de nobis parum speciosa,
nimirum (ut est apud Fabium) fundamenta
latent, fastigia spectantur, et sunt passim mul-
ti nimis morose justi, qui non satis perpen-
dunt Ecclesiam dispersionem quandam esse,
multis ubique scandalis deformatam, in qua do-
ciles pro doctis, auscultantes pro sapientibus
initiati pro perfectis habentur. Rarum
quoddam divinae potentiae opus est vel domus
una sic undique virtute Spiritus sancti munita
ut nulla in eam rima patescat hosti dispergenti.